

fententiis ad informandum hunc Commentarium plurimum usus fit Autor, liquet ex fine: *et ad presens hec collecta ex dictis sancti augustini et ex dictis sancti crisostomi circa sacrum euangelium beati iohannis sufficient.*

II. fol. 132. *Ανακεφαλαιωσι* instituit Autor redeundo ad C. I. *Job.* hoc modo: *In principio erat uerbum. Supposita literali expositione ex dictis circa literam in hiis uerbis exponendis per modum collacionis tria insnuantur &c.* Atque hic jam non totus textus percurritur, sed singularia delibantur. Autorem hujus geminae Expositionis *Lucae Waddingo* in *Scriptt. O. M.* debeo. Est is *Job.* dictus a Patria *Wallensis*, *Guallensis*, *Walley* mortuus *Parisiis* 1285. a suo *Communiloquio* seu *Summa* notus, quidquid *Oudin* *Thomam Forstun* pariter dictum *Guallensem* sed O. Praed. obgerat, cui nihil ejusmodi tribuunt

solertissimi *Bibliothecarii Domini-*  
*cani*, nec *Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib.* quanquam non diffitear, tenebras pluribus *Guallensibus* circumfusas a nemine adhuc fatis discussas fuisse. Quod me praeterea *Waddingo* adjungit, est finis secundae hujus Expositionis. Siftit ea in C. ult. v. 18. *Cum autem senueris, extends manus tuas &c.* eumque totum B. *Francisco Affiati* adplicat, unde et in margine notatur: *Thema de beato Francisco.* Pro quo sane *Dominicum* legeres, si Autor ad hujus *Sodalitium* pertinuisset. Claufula est: *Ex hiis collacionibus patent misteria multa in litera ut patet conferenti collaciones cum ipsa litera. Sunt enim de illis que dicuntur in litera in quibus est pondus misteriorum magis ut similiter patet consideranti.*

Adscripti sunt alia manu coeua: *Versus consanguinitatis Christi.*

*Anna solet dici tres concepisse marias  
Quas genuere uiri Joachym Cleophas Salomeque.  
Has duxere uiri Joseph alpheus Zebedeus  
Prima parit christum Jacobum secunda minorem  
Et joseph iustum peperit cum Symone iudam  
Tercia maiorem jacobum volucremque jobannem.*

CXVI. VII E 18

336 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 169. f. per duas columnas bene scriptus complectitur *Haimonis*, cujus tamen nomen reticetur, e *Fuldensi Monacho* *Episcopi Halberstad.* Scriptoris Sec. IX. *Commentaria in D.*

*Pauli Epistolas*, non tamen consueto ordine, ut etiam collatio cum Editione *Parisi.* 1550. 8. docuit. Est vero is in *Cod. Ordo: Epistola ad Rom. ad Corinth. I. ad Corinth. II.* quae a fine c. 10. deficit, *ad Thessalonic. I.* quae incipit a fine c. 3. *ad Thessalonic. II. ad Timoth. I. et II. ad Galat. ad Ephes.*  
U 2 ad

*ad Philipp. ad Coloss. ad Philem. ad Titum*, ubi tamen nihilo plus quam in *edit. suprac.* ut adeo querelae de mutilis hujus *Epistolae* Commentariis, quam Editor *fol. 287.* tollit, e nostro *Cod.* mederi nequeamus. Finem facit *Epistola ad Hebraeos*, quae et ipsa tamen in iis ad *C. 13.* verbis: *beatus petrus hortatur dicens christus passus est* — abrumpitur. Ut vero initium etiam *Codicis* adponamus, incipit ille: *A Chorointho Civitate Metropoli Achaiae Regionis. scripsit apostolus paulus romanis &c.* Id ceterum peculiare habet, quod in usum fortassis Orationum sacrorum titulis Capitum plerumque adscriptum sit nomen *Dominicae* aut *Festi* cuiuspiam, quod nempe talis Capituli materia pro concione illa die habenda subservire queat. *Commentaria* Nostri in *Apocalypsin* indicantur *Cod. CCLXXXIII.*

## CXVII. VIII. E. 3.

352 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 100. f. per duas columnas scriptus, variisque in locis ope marginum subpletus in ipsa Theca exteriori: *Glose magistri Gisleberti in paulum apostolum*, *fol. vero et p. 1. Glosata* vel *Glosatura magist. Gisleberti in paulum apostolum* inscribitur. Atque hac ipsa voce utitur *Albericus Monach.* in *Chron.* dum ait *Gilbertum* (*Gislebertum*, *Gislebertum*) *Romae laudatum fuisse*, quod correctus (ob opinan-

di licentiam) *fecisset minorem Glossaturam continuam in Psalterium et in Epistolas Pauli.* Quod addit: *insequendo dicta Beati Augustini et alia, quae recipiuntur*, manifeste probat, de nostro praesenti *Commentario* Sermonem ei fuisse; quamvis enim ex *Ambrosii* etiam, *Origenis* et *Hieronymi* dictis conflatus sit, maximam tamen paginam *Augustinus* facit. Est vero *Gilbertus* hic famosus ille *Picaviensium* Antistes dictus *de Porreta* a. 1154. vivis exemptus, de quo copiose *Oudinus* T. II. col. 1276. Opus illius, quod prae manibus habemus, ut scripta non desint Exemplaria, quae in *Lelongii Bibl. Sacra*, *Montefalconii Bibl. Biblioth. Mss.* et ipso *Oudino* habes, typis nunquam expressum putem, idque ideo, quod pene nunquam propriis verbis utatur Autor, PP. dicta recitare contentus. Codex unus e tribus, qui in *Catal. Bibl. Reg. Paris.* P. III. T. III. p. 299. indicantur, *Oudino* teste incipit: *Sicut Legis ita et Evangelii &c.* ex quo infero, Exemplo nostro *Praefationem* deesse; initium enim ejus est ab Exordio *Epistolae ad Romanos: Paulus Servus &c. More scribentium epistolas premittit salutationem &c.* Deficit in Expositione *Epistolae II. ad Timotheum* c. 3. his verbis: *errantes ipsi et alios in errorem mittentes. Quales sunt qui se ad temptationes non parant sed huius seculi felicitatem* — —.